



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Art. 9. Vtrum in Christo fuerit Ira.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

rius. Potuisset enim se sine timore, morti offerre. Sed nostrâ causâ hûc affectû assumere voluit; quia ad nostram ædificationem & satisfactionem pertinebat. Ad Tertium, Non est de ratione timoris, vt sit incerti mali; sicut nec de ratione spei, vt sit incerti boni: vt patet in animabus purgatorij; satis est vt malum apprehendatur tamquam futurum & imminens. Si tamen apprehendatur certò futurum, non nascetur timor efficax, qui molitur euasione, sed inefficax per modum velleitatis, & simplicis fugæ, seu abhorritiois. Quomodo is qui iam est moriturus, desiderat vitam & timet mortem. Est enim contractio quædam seu fuga appetitûs à malo abhorrentis. Hinc etiam nascitur quædam tristitia; malum enim certò imminens, reputatur quodammodo præfens. Vnde hic timor est fundamentum cuiusdam tristitiæ; non enim est idem quod tristitia. Vnde quod D. Thomas ex Aristotele ait, Apprehensionem mali certò futuri, non inducere timorem; intellige de timore efficaci, qui molitur euasione.

In quo cõ-
stitat ratio
Timoris.

ARTICVLVS VIII.

Utrum in Christo fuerit Ad-
miratio?

R Espondetur Affirmatiuè. Et Patet Matthæi 8. v. 10. *Audiens Iesus fidem Centurionis, miratus est.* Quæ verba propriè intelligi possunt. Ratio est; Quia eius cognitioni poterat aliquid offerri, quod esset ei magnum & insolens: atqui hoc est obiectum admirationis.

22
Admiratio

Vnde nas-
catur.

Notandum est; *Admirationem* propriè videri esse actum intellectus, quo quis iudicat rem aliquâ superare suam opinionem, vel apprehensionem; vel esse insolitam respectu suæ experientiæ. Idem enim videtur esse, dicere: *admiror* hanc rem. Et dicere: hæc res est mihi valdè insolens; scilicet respectu meæ experientiæ & scientiæ. Hinc nascitur amor inhærendi rei per cognitionem, vel etiam vterius perscrutandi; nisi sit incomprehensibilis: tunc enim nascitur fuga curiose scrutationis. Signum huius est, quia possumus admirari sine vlllo timore aut fugæ appetitûs: ergo admiratio non est timor. Sed nec potest alius actus appetitûs assignari, qui necessariò sit in admirante,

præter amorem contemplationis illius rei; qui tamen Amor non est ipsa admiratio; Nam admiratio pperit amorem Sapientiæ; vt ait Aristot. in *Metaphysicis*. Deinde; hic amor non est semper necessarius; vt cum admiramur perfidiam aut malitiam alicuius hominis. Est igitur *Admiratio* actus intellectûs. Nec obstat quòd D. Thomas 1. 2. q. 41. art. 4. admirationem faciat speciem timoris; quia admiratio interdum accipitur pro suo effectu, qui aliquando est quidam timor; nempe fuga scrutandi id, quod est inscrutabile. Miratus itaque est Christus fidem Centurionis, quia etsi ipse cognitioni infusè non esset noua, tamen ipse experientiæ insolens & noua erat tanta fides, cum tantam in Israël non esset expertus. Sicut Astrologus videns Eclipsim, quam antea numquam expertus erat, miratur; quamuis ratione eam antea nouerit.

Quomodo
Christus
sit admira-
tus fidem
centurio-
nis.

ARTICVLVS IX.

Utrum in Christo fuerit Ira?

R Espondetur affirmatiuè. Marci 3. v. 5. *Circumspiciens eos cum ira.* Ratio est; Quia fuit in ipso appetitus repellendæ iniuriæ, sibi & Patri illatæ. Vnde etiam poterat sanguis & spiritus citari circa cor. Atqui hoc est ira. Vide D. Tho.

23
Ira.

ARTICVLVS X.

Utrum Christus simul fuerit Via-
tor & Comprehensor?

R Espondetur affirmatiuè. Notandû est Christum ab initio conceptionis fuisse *Comprehensorem*, seu vidisse diuinam essentiam; vt ostensum est suprâ q. 9. a. 2. & q. 10. Quòd autem simul fuerit *Viator*; Patet Primò, Quia secundum corpus non erat beatus, nec etiam secundum omnes animæ potentias; sed adhuc tendebat ad beatitudinem, quod est viatorum. Secundò; Quia & corpore & animo erat passibilis. Tertiò; Quia sibi & alijs poterat mereri. Sibi, gloriam corporis, & nominis exaltationem: alijs, gloriam animi & corporis. Atqui mereri est proprium munus viatoris.

24
Viator.

Q V Æ S T I O X V I.

De consequentibus vnionem quantum ad ea quæ conueniunt Christo secundum esse & fieri.

In Duodecim Articulos diuisa.

ARTICVLVS I. & II.

Utrum hæc sit vera: Deus est homo?
& Homo est Deus?

R Espondetur; ytraque est vera. Patet ex omnibus ijs, quibus suprâ q. 2. a. 2. & alibi, probatum

2

I
Communi-
catis idio-
matum.

A Gitur hæc quæstione de communicatione Idiomatum, quâ proprietates Dei, tribuuntur homini; & proprietates hominis, tribuuntur Deo. Cuius communicationis tota ratio est, quòd vna eademque persona verè & propriè sit Deus & homo.